ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Perillustris domine

Ignosce quaeso, tardiori, quam vellem ~~responso~~ scriptioni; ex itinere per continu-
am festinationem non licuit ~~respondere~~ scribere. reverso autem illico
undique tot objecta pro re nata negotia fuere, ut nihil supra. ut Scho-
lasticum illud pistrinum, ut amicorum responsum flagitantium literas
hinc inde missiculatas omittam, geminum mihi Epithalamistae vide
licet jurato, scribendum Epithalamium fuit, alterum in nuptias
Andreae nostri Scagij Alcmariensis, quem probe nosti; alterum in
alium quendam; ita miserrime me omnes exercitum habent. ita
perpetuo hoc saxum volvere cogor, nimia facilitate herba plane
factus parietaria. Sed ad rem. Leidae cum essem, id quod facile
divinaveram evenit, scilicet ut infrequentes admodum invenirem professo-
res, Heinsio in Flandriam, in Brabantiam Heerboordio, alijs aliò profectis.
Operam tamen omnem lusi nequaquam, Vinnio, Vorstioque ac Boxhornio in
primis feliciter compellatis. commendavi omnibus singulisque libens uti par
erat meritoque et verbis ornavi ornatissimum nobilissimumque Philippum
tuum, operamque omnes vicissim singuli data dextra prolixissime
obtulerunt in commodo hospitio contortioque ipsi procurando inque studijs
consilio et opera dirigendis pariter ac promovendis. Vorstio de
Philippo in suas aedes recipiendo verbum nullum feci, cum neque
id in mandatis haberem, et satis constet, eum nunquam ullos ante
hac recepisse. Vinnio Boxhornioque non dixi quidem negotium
mihi datum esse ut ea de re agerem, sed me sponte mea
quaerere in antecessum, quo sint animo si forte aliquando tute
ea de re venias acturus. Vinnius angustias aedium potissimum,
absentiam in Zelandiam profectae uxoris Boxhornius praetexere
videntur tamen, si instares sive adeo fieri posset, admodum negaturi
videbantur. Haec habui in praesens quae scriberem. Deus quod
agitis, quodque agetis, secundet, ejusque sub auspicijs militiam literariam
in Academico jam campo, exemplis suorum incitatus Philippus vester
felicissime decurrat, vereque virtutis certissima aliquando praemia consequa-
tur. ita voveo lingua ac pectore,

Perillustris domine
tuus ex animo
Bruno.

Cum Scolfio isto Hornano poeta, quem tibi adfui-
sse dicebas, poetica, hoc est constantissima, utpote
fide amicitiam hesterno die contraxi. vir est candidi
quantum unico congressu videre potui, ac Batavi plane pectoris;
quique multa sibi lecta multa visa abunde mihi probavit.
Mirifice inprimis tuam depraedicavit humanitatem
quasi quicquam me doceret novi. Intellexi
Rectoratum vacare Roterodamensem, deponente ultro Spartam Swardecronio eique successum
iri Conrectorem Leidensem Scholium; ei si vocarer successor Philippo
tuo omnem extra ordinem operam libentissime atque adeo ex debito vestri impenderem.
Sed nolo ambire, ne si spes decollaret, ludibrium Hornanis debeam et con-
temptum. Si vero vocarent Leidenses, gestiam sane ne dicam dolo, pro-
mitterem. Scribebam Hornae XI. Cal. Sept. CIƆIƆCLI.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 106
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5171

Mijn Heer,
Mijn Heer van Zuylichem, &c.
In 's Gravenhage
Port van Amsterdam

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 106
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5171